

precibus, ut, quia ipse præfatam sumptu tuo et de rebus propriis cum fratre Godefrido construxit et donavit ecclesiam; hanc a nobis mereatur recipere gratiam. Annuimus, inquam, voluntarie, et sibi et tibi, frater charissime; et vos quidem, quos apud alios commendat ætas et exterius reverenda canities, mihi gratos fecit moralitas interior et inviolabilis fides. Memores etiam in hac tua petitione fuimus fratris tui domini Wasonis, Tungrensis Ecclesiæ vigilantissimi pastoris, qui, dum vixit, æquitatis norma, catholicæ religionis, canonicæ simul honestatis semper fuit regula.

Hanc igitur nostræ præceptionis paginam fieri jussimus, statuentes apostolica censura, ut nihil horum quæ præfato monasterio a quibuscunque fidelibus concessa vel concedenda sunt in perpetuum, aliquis temerario ausu infringere vel imminuere audeat, ne, dum præcursorem et Baptistam Domini offenderit, quo inter natos mulierum major nullus surrexit, Dei omnipotentis iram incautus incurrat.

Datum

XCVIII.

Epistola seu breve S. Leonis IX, pro cœmeterio prioratus Sancti Orientii Cluniacensis ordinis.

(Anno 1054.)

[Bullar. Cluniac. 13.]

LEO episcopus, servus servorum Dei, RAIMUNDO archiepiscopo Ausciensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Pervenit ad aures nostras clamor monachorum Sancti Orientii commorantium in suburbio civitatis, pro injuria quam loco illorum inferre niteris de cœmeterio extra usum antiquæ consuetudinis: non enim meliores sumus quam patres nostri. Quapropter tibi mandamus atque sub auctoritate Dei et sancti Petri et nostra præcipimus ut prædictum monasterium navis legibus et inauditis consuetudinibus in nullo infestes, in nullo molestes, tam in cœmeterio quam in aliis rebus ad ipsum locum pertinentibus. Decernimus itaque canonica et apostolica auctoritate ut nulla ecclesia terminos statutos a Patribus audeat transire. Unde vos admonere volumus et præcipimus ut quod usque modo non habuistis, nec intra urbem, nec extra, vobis injuste vindicetis. Scilicet sicut fuit cœmeterium temporibus antecessorum vestrorum, ita permaneat in sæculum in futurum.

XCIX.

S. Leo IX confirmat fundationem per celeberrimam abbatiam S. Mariæ apud Santones.

(Anno 1054.)

[Gall. Christ. II, Instrum., 481.]

Rectore omnium ordinante Deo, LEO ego, Romanæ sedis papa.

Innotescat volo omnibus catholicæ Ecclesiæ cultoribus quod Godefridus, comes Andegavensis, et Agnes comitissa locum S. Mariæ Sanctonensis cœnobii, quod monachabus inibi sub beati Benedicti regula degentibus Deo devote fundaverunt, nostra

auctoritate confirmari et auctorizari postulaverunt, et nostri regiminis tuitione confortari deprecati sunt, quorum petitioni assensum præbentes confirmamus et constitutionis tantæ locum liberali, ut deprecati sunt, jure sub nostra defensione suscipimus. Unde omnes Dei fideles charitative submonemus ne tantum opus disturbare et dissipare Dei servitium vel Deo devotas patiantur. Quod si aliquis huic divino operi insidiari præsumpserit, concessa vel concedenda calumniando et devastando, iram perpetuæ damnationis incurrat, et S. Dei Genitricis omniumque Sanctorum accusationem non evadat, et nostrum anathema, quantum Dei judicio traditum nobis est, apostolica etiam auctoritate concessum Dei inimicum dare in interitum, in æternum damnatum sentiat. Hujus vero conscriptionis chartam, ut firmiorem obtineat vigorem, sigilli nostri impressione signari curavimus.

C.

S. Leonis IX epistola ad Michaellem Constantinopolitanum patriarcham, adversus ejus et Leonis Acridani episcopi inauditas præsumptiones et nimias vanitates (215).

LEO episcopus, servus servorum Dei, MICHAELI Constantinopolitano, et LEONI Acridano, episcopis.

I. *In terra pax hominibus bonæ voluntatis (Luc. II).* Hujusmodi exordium docuit nos illud Dominicam: *In quacunque domum aut civitatem intraveritis, primum dicite: Pax huic domui; et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin autem, ad vos revertetur (Luc. X).* In pace etenim vocavit nos Deus (I Cor. VII), qui est pax nostra; qui fecit utraque unum, et veniens evangelizavit pacem his qui longe, et his qui prope erant (Ephes. II): et inter nonnulla dixit: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur (Matth. V).* Quorum pedes Deiloquus Isaias admiratus, proclamat: *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem! (Isa. LII; Rom. X.)* Ad quam magnus Paulus contestando sic discipulos adhortatur: *Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum (Hebr. XII).* Et: *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes (Rom. XII).* Et rursus: *Pacem habete, et Deus dilectionis et pacis erit vobiscum (II Cor. XIII).* Nec immerito, dicente discipulis suis, imo omnibus Christianis ipso Domino: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis (Joan. XIV).* Quæ utique quam germano et unanimi affectu, et indissolubilis fœderis nexu retinenda sit, hinc potest colligi quod eam, ultimam cohæredibus et participibus suis, velut hæreditario et perpetuo jure commendatam, sub testamento mox suo sanguine subscripto et pia morte confirmato reliquit, quasi diceret: *Fratres et cohæredes mei, relinquo vobis ex patrimonio nostro sortem, temporalem videlicet pacem; quam si integram et incontaminatam in fine mihi representaveritis, meam sortem, pacem scilicet sempiternam, adjungo vobis. Nec his contentus, Patri*

(215) Vide infra in appendice epistolam Michaelis Cæsararii et Leonis Acridani,